



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IVRIS CANONICI|| SEV PONTIFICII|| PARTITIONES,||

Grégoire, Pierre

[Frankfurt], 1595

VD16 G 2996

8 De sacramento confirmationis seu chrismatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63677)

- h** ca. per baptismum, 2. de Consecra. dist. 4. **A** vide concilium Tridentinum in 5. sessione, de peccato origina. c. 1. diuum Aug. lib. 1. de baptis. paruulorum. c. 39.
- i** Diuus Augustinus de baptis. paruulorum c. 7. relatus. in ca. non ex quo, 146. de Consecratio. dist. 4.
- k** D. Paulus Epistola secunda ad Corinthios cap. 4.
- l** ca. ita diligere, 30. q. 3. ibique argumento utitur filiorum adoptiuorum Nicolaus summus pontif. facit l. si quis alumnam, lib. 5. c. 11. 4. In Ecloga Basilio. li. 28. tit. 5. c. 17. Constanti. Harmenone lib. 4. tit. 6. *Ἐστὶν ἡ τῆς ἀγάπης βαπτισματός, &c.*
- m** 6. Martinus, de cogna. spirit. vide totam 30. q. 4. Superueniens tamen compaternitas inter coniuges, nō dissoluit contractum matrimonium. c. 2. & c. contracto. de Cogna. spiritali. tota. 30. quæst. 1.
- n** c. veniens, de Cogn. spirit. c. 1. eo. tit. in Sex. **C** ca. non oportet, cum duobus sequentibus. 3. quæst.
- o** Quare si de facto contingantur, separabitur matrimonium. c. tua nos, de cogna. spiritali: quamuis libere contrahi possit matrimonium inter fratrem baptizati, & filiam patris vel matris. c. 1. qui matrimonium accusa. pess.
- p** vide cap. finale, de Cognatione spiritali.
- q** can. fin. in 1. glof. 10. q. 5. Satis tamen **D** putatur & ad vitandum scrupulum pertinere, colendamue honestatem bonorum morum, si matrimonium inter se non inuent, ut ait Panor. ad cap. 1. Martinus, de Sponsalib.

DESACRAMENTO
CONFIRMATIONIS.
TIT. VIII.

A Tractatur de Consecratio. dist. 5. can. 1. 95. dist. 5. titulo de Sacra unctio. lib. 1. tit. 15. De hoc nos tractamus lib. 2. Syntagma. cap. 1. 5.

CAPVT I.
Continuatio, Quid confirmatio.

A BSOLUTA tractatione de Baptismo, sequitur vt agamus de Confirmationis sacramento, quod sequitur Baptismū. **a** Omnes Christiani bis ante baptismum vnguntur oleo benedicto: primum in peccatore, deinde inter scapulas: & bis post baptismum scilicet chrismate sancto in vertice: demum in fronte. **b** Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur cōfirmatio, quia per eam spiritus sanctus ad augmentum & robur datur. **c**.

SCHOLIA.

- a** canon. primo. & 3. de Consecr. dist. 5.
- b** c hac, & quid significet ista unctio. tractatur in cap. unico. c. quia vero Christus, de sacra unctio. Quomodo oleum triplex fiat in Ecclesia, in quinta feria hebdomada in ramis palmarum, docet Guilielmus Durandus in lib. 6. Rationalis diuinorum officio. cap. 74. vbi de oleo infirmorum, Chrismatis, & de oleo sancto.
- c** dicto cap. unico. §. per frontis chrismationem, de Sacra. unctio. ca. spiritus sanctus, 2. de Consecr. dist. 1. Omnes Christiani fideles per manus impositionem episcoporum spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur. ca. 1. omnes fideles, de Consecra. dist. 5. Baptismi & cōfirmationis duo sacramenta ita coniuncta sunt, vt ab inuicem nisi morte proueniente nullatenus possint a Christiano separari, & vnum sine altero rite perfici non possit. ca. 3. de his vero super quibus, de Consecra. dist. 5. Quod de adultis dicitur, qui pleni dicuntur effici Christiani, dum Confirmationem accipiunt: & si contemneret, peccarent mortaliter, alioquin pueris decedentibus sufficit Baptismus, gloss. ad can. 1. ad verba vt pleni, & gloss. fin. ad ca. 3. ad verbum perfici, de Consecra. dist. 5. Facit quod scriptum Actuum c. 8. ibi, Baptizati tantum erant in nomine domini IESU, tunc imponentes manus accipiebant spiritum sanctum, &c. can. manus, de Consecratio. dist. 4.

H

CAPVT II.

¶ Nam esse confirmationem sacramentalem, non iterabilem.

CONFIRMATIO, in quantum sacramentum est, a una est, quæ confirmat & auget spiritus sancti gratiam in nobis: sicque separatur ab aliis, quæ confirmationis nomen habent, & ad alia referuntur, b & semel tantum Christiano datur, nec iteratur. c.

S C H O L I A.

a Confirmatio verum Sacramentum est. in concilio Tridenti. de Confirma. c. 1. Et hac est sententia fidei Catholica. Ex qua damnantur, qui confirmationem sacramentum esse negarunt. ut Waldenses teste Aenea Syluio in historia Bohemica c. 35. Novatiiani, teste Theodoro lib. hæreticorum fabularum. Eusebius lib. 6. c. 33. & alii hæretici quidam huius seculi, qui & sacris scripturis, & sacrorum patrum auctoritatibus, cum vniuersalis Ecclesia censura expugnantur. ut a Clemente lib. 3. constitution. Ecclesiastica. cap. 10. 16. 17. a Cornelio Papa, & martyre in epistola ad Fabianum Antiochenum. Eusebio lib. 6. historia cap. 33. Innocentio 1. epistola 1. ad Decentium. cap. 3. cap. cum venisset de sacra unctione. per c. 8. Actorum Aposto. concilio Eliberitano cano. 38. Laodiceno. ca. D 7. Aurelianensi ca. ut ieiuni. de consecra. dist. 5. Meldensi. ca. ut episcopi de consecra. distinct. 5. Et ita hanc vstitutam antiquitus fuisse inter Christianos confirmationem & unctionem plures tradunt, ut Iustinus Martyr. quest. 37. Origenes homilia 8. in Leuiticum, Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi mystagogica. 1. & 2. Ioannes Damascenus lib. 4. de fide cap. 10. Gregorius Nazianzenus oratione in Sanctum lauacrum. Tertullianus li. de resurrectione carnis, Cypria. epistola. 1. Ambros. 3. de Sacramentis c. 2. Augustinus 15. de Trinitate cap. 26. & alibi Hieronymus dialogo contra Luciferianos, & alii plures

A qui Theologis familiares sunt & cogniti. & de hoc sacramento agunt lib. 4. Sententiarum Patrum distinct. 7.

b ut in titulo de confirma. vili vel inutili. cum dicimus confirmationem electionis, confirmationem sententia, & sic de similib.

c ca. dictum est 8. & sequen. de Consecra. distinct. 5. ex Concilio Taraconesi. cap. 6. Hinc colligitur error eorum, qui arbitrantur, Sorilegas esse iterum chrismandas aut rebaptizandas: eo, quod dicant eas & baptismo & chrismati renuntiasse, ut demonis obsequio se mancipent, & putent characterem baptismi & chrismati amisisse, quod tamen falsum est: cum sit ille character indelebilis: quamquam demon radendo illis frontem & notiam illis imprimendo nitatur illis persuadere, quod baptismum & chrisma amisissent, idque astute facit, ut illas in desperationem pertrahat, quod non possint ad misericordiam Dei refugere. Et ideo probi confessores, cum ista misera ad iudicantur supplicis, vel si aliquando Dei misericordia renocantur, debent illis acute ostendere, falsum esse, illas amisisse characteres baptismi & chrismati, quibus efficiuntur membra Christi, qui nunquam redeuntibus veniam & gratiam denegat, ut neq. neganti Petro defuit.

CAPVT III.

- | | |
|-----------------------------------|-----------|
| 1 Materia. | 2 Forma. |
| 3 Minister. | 4 Tempus. |
| 5 Modus & persona confirmationis. | |

MA T E R I A confirmationis chrisma: est, quo confirmati in fronte liniuntur. a:

Forma conferendi chrisma habetur in pontificali, ut dum chrismate fit crux in fronte confirmati, dicat episcopus, Ego consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris & filii & spiritus sancti: Accedit & manus impositio. c.

Solus episcopus chrismandi in fronte seu confirmandi habet potestatem iure communi, non simplices presbyteri. d.

Potest.

4 Potest autem omni tempore episcopus confirmare. **A**

5 Offertur confirmandus a sponsore fidei eius, vocat vulgus & patrimus, qui eum in fide plenius instruat. *f* Quale qui offert, ipse debet esse confirmatus, aliter non contrahit compaternitatem, & debetque alius esse ab eo, qui oblatum leuauerit a baptismo, excepta causa necessitatis: isque debet esse vnus, non plures. *h* Non possunt etiam offerre confirmandos filios, parentes: nullos autem, abbates, *k* monachi, *l* non magis, quam de fontibus leuare, excepto tempore necessitatis. Fuit & olim vitrico prohibitum priuignum confirmationi offerre: imminente alioquin separatione ab eius matre, *m* quod postea abrogatum est. *n* Ieiuni episcopi confirmare debent; *o* & ieiuni confirmandi ad confirmationem venire, *p* & qui sint intelligentes seu perfectæ ætatis, *q* qui & **C** monentur etiam ante confirmationem confiteri peccata. *r* Omnes autem in summa fideles per manus impositionem episcoporum, spiritum sanctum post baptismum accipere oportet. *s*

S C H O L I A.

a Oleum sanctum triplex est, quod per Episcopos in die Cœnæ Domini solènter consecratur. In hebdomada sancta. Etiam in loco interdicto. *cap. quoniam in baptismo, d. 19. de Sentent. excomm. in Sex. de quibus oleis in c. vnico. de Sacra vntio.* Primum oleum & principale Chrisma sanctum dicitur, quod fit ex oleo oliuarum & balsamo, cum quo & benedicuntur fontes baptismatis, calix, patena, altare, puer baptizatus in vertice & in fronte. Et Episcopi cum consecrantur in manibus & capite: & omnes fideles cum confirmantur. *d. cap. quoniam in baptismo.* Hoc oleum singulis annis est consecrandum & in nouandum. Et mittitur ab Episcopis, sibi subditis presbyteris, quo utantur in baptismo, nisi urgeat necessitas baptizandi, que nouum chrisma eo permittat expectari, *can. si quis de alio,*

*122. cum q. aliis sequentibus, de consecrat. dist. 4. can. 3. & 4. 95. distinction. Secundum oleum sanctum, dicitur est oleum catechumenorum. Dicitur quoque oleum sanctum benedictum, quo inunguntur baptizandi inter scapulas, & in pectore: & manus sacerdotis cum ordinatur; & principes & reges, cum unguuntur in brachio & humero. *cap. vnico, §. unde in humero, de Sacra vntio. Item ecclesia & altare ante chrisimationem.* Tertium oleum sanctum, dicitur oleum infirmorum, quo infirmi in articulo mortis inunguntur. De quo agitur in extrema vntione, infra tit. 11. De consecratione horum oleorum, formula, & ritibus consecrationis, de salutationibus illorum & usu tractat Guillelmus Durandus, lib. 5. Rationalis diuinorum officiorum, *cap. 74.* Chrisma etiam non posse fieri, nisi in die Cœnæ Domini, docet *can. omni tempore, de consecrat. distinct. 4. cap. quoniam in baptismo de sentent. excomm. in Sex.* Multiplicantur post consecrationem ista olea, alio oleo non consecrato illis immixto, quod commixtione efficitur eiusdem efficacia, & particeps eiusdem benedictionis. Sicuti & immixtione aqua non benedicta cum benedicta, ea sit benedicta.*

b Omnia sacramenta fieri cum signo crucis, tradit *ca. nunquid, 10. de consecrat. distinct. 5.*

c *can. de his 3. can. manus 4. nouissime. de consecrat. distinct. 5. Actorum 8.*

d *cap. vnico, §. per frois chrisimatione, de sacra vntio. cap. quanto, de consuetu. can. presbyteris, 119. can. presbyter, 120. de consecrat. dist. 5.* Quamvis aliquando dispensatiue, ad euitandum scandalum, permixtum fuerit presbyteris simplicibus, chrismare, *can. peruenit, 95. distin.* Quod tamen postea prohibitum. *ex dict. cap. quanto, de consuetud.*

e *argu. can. omnes fideles, can. de his, can. ut ieiuni, cum sequenti, de consecr. dist. 5.*

f *can. vos ante omnia, de consecrat. dist. 4.*

g *can. in baptismo, de consecratione, dist. 4.*

- h *can. in catechismo, de consecratione, distinct. 4.*
- i *can. non plures. de consecratione, distinct. 4.*
- k *cap. 2. de cognatio. spiritus. can. ad limina, 30. quest. 1.*
- l *can. non licet, de consecratione, distinct. 4.*
- m *can. peruenit, 8. quest. can. placuit, 16. quest. 1.*
- n *can. si quis filiarum, 30. quest. 1.*
- o *can. nosse desideras, 30. quest. 1.*
- p *Excepta causa necessitatis, canon. ut Episcopi, 7. de consecrat. dist. 5. quemadmodum & alia sacramenta, nisi necessitas prohibeat, debent conferri a ieiuniis, can. honestum 22. quest. 5. can. liquido, de consecr. dist. 2. Hoc tamen Angelus Clauasius dicit esse de concilio, non de precepto.*
- q *can. ut ieiuni, 6. de consecr. distinctione 5. quod & consilii, non necessitatis.*
- r *Ex concilio Aureliacensi cap. 3. dicto can. ut ieiuni, ubi gloss. tradit perfectam aetatem 12. annorum, in qua ad minores ordines promoueri possint, can. 2. 77. dist. aut 25. annorum, iuxta l. 1. de minor. 25. ann. P. Sed nihil prohibet hic dicere, legitimam aetatem eam, qua ad pugnandum cum peccatis & demone est idonea. argum. c. 1. & 2. de delictis pueror. c. pueres, de desponsatio. impub. cum & malitia suppleat aetatem, annorumque numerum & prudentiam. cap. de illis, eod. tit. de desponsat. impu. l. 2. de his qui veniam aetatis impetrauer. & maiori septem annorum potest conferri tonsura prima. cap. final. & ibi gloss. ad verbum infanti, de Tempor. ordin. In Sex. ca. de his, 28. distinct. can. in singulis, 77. dist. 6. ex eo. de electio. in Sex. cum similib. sed & hodie, libere. In decimo octauo anno ad subdiaconatum: in vigesimo, ad diaconatum: ut vigesimo quinto ad presbyteratum promoueri quis potest, cap. fin. de etat. & qualitate in Clementinis.*
- s *dicto can. ut ieiuni, de consecratione, dist. 5. quod intellige de peccatis mortalibus.*
- t *can. 1. de consecratione, distinct. 5.*

CAPVT IIIII.

- 1 *Effectus confirmationis, robur additum.*
- 2 *Cognatio.*
- 3 *Impedimentum matrimonii.*
- 4 *Spiritus sanctus.*

H V I V S sacramenti suscipiendi ratio cuique erit, ut plene efficiatur a Christianus. Quod de adultis dictum est. Quauis enim continuo transiurus a vita sufficiant regenerationis beneficia; victuris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia. Regeneratio per se saluat, mox in pace seculi recipiendos. Confirmatio autem armat & instruit ad agones huius mundi & praelia reseruandos. Qui autem post baptismum immaculata innocentia peruenit ad mortem, confirmatur morte, quia non potest peccare post mortem. b,

Quemadmodum vero ex sacramento Baptismi nascitur cognatio spiritalis, quae inter certas personas impedit matrimonium contrahi, & contractum dissoluit, e sic ex confirmatione d & non ex aliis sacramentis. e.

Per catechismum tamen solum, qui praecedit baptismum in adultis, matrimonium quidem inter personas eo nomine cognatione coniunctas, impeditur: at contractum, postea non dissoluitur.

SCHOLIA.

- a *can. 1. & can. ut ieiuni, de consecrat. distinct. 5. scilicet perfectus quoad omnia sacramenta: quia si contemneret peccaret mortaliter.*
- b *Quae verba transcripta sunt ex can. de consecrat. dist. 5. Scribit Nicephorus Callixtus lib. 6. historiae Ecclesiasticae. Nonatum non potuisse habere spiritum sanctum, quod baptizatus non potuisset recipere ab Episcopo, quod confirmationem vocamus: & hanc fuisse causam, cur non potuerit promereri spiritum sanctum. Nonatum ipsum fuisse testatum. Eadem refert Eusebius Pamphilus lib. 6. c. 33.*

c ut inter baptizatum & leuantem; inter filios & uxore leuantis ante cognitam inter suscipientem & patrem & matrem, ante cognitam suscepti inter presbyterum baptizatum eiusque filios etiam ante presbyteratum susceptos, & baptizatum, patrem matremque baptizatum. cap. 1. de cogna. spirita. in Sex. libr. 4. tit. 3. inter filios baptizantis seu leuantis & leuantum. cap. 1. 3. & fin. & cap. ita quos, de cogna. spirita. lib. 4. Decretal.

d cap. 1. §. ex confirmatione, de cognatione spirita. in Sex.

e cap. fin. de cognatione spiritali, in Sext.

f cap. per catechismum 2. eod. tit. de cogna. spirita. in Sex. Catechismus dicitur, & catechesis *κατηχησις*, instructio rerum sacramentorum, que solita erat tradi verbo tenue venientibus ad fidem Christianam, antequam ad baptismum admittèrentur. *ἀπὸ τοῦ κηρύττειν*, quod est vna voce instruere. Unde exstant Cyrilli Hierosolymitani Episcopi catecheses illuminationes & mystagogica. Censentur & catecheses proprie institutio priorum rudimentorum cuiusque scientia ex Porphyrio in princip. quest. Homer. Inde catechumenos *κατηχημένους*, qui nodum sacris est initiatus, sed adhuc imbuitur elementis religionis.

DE SACRAMENTO Eucharistiæ.

TITVLVS NONVS.

a De hoc agitur, de consecrat. distincti. 2. ca. sancta Romana. §. ceterum 15. dist. titulo de celebratio. Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, lib. 3. Decretal. tit. 4. in Clementinis lib. 3. tit. 14. Nouella 38. ut in priuatis domibus sacra mysteria non fiant Iustiniani & Nouella 15. Leonis, apud nos, lib. 2. Syntagm. iur. vniuersi. cap. 6.

C A P. I.

Continuatio.

postquam baptizati in ordinem Christianorum, admissi, & Ecclesiæ membra facti, inque illo gradu per sacrum chrisma, robore ad pugnam spiritualem ineundam

A contra aduersantia suscepto, confirmati fuerint, operæ pretiū erit eisdem quoque de cibo supercœlesti, & viatico prospicere, quo interius confirmentur: ne deficient in pugna, & ut omni ex parte armati incedant. Quare tertium dedimus in his institutionibus locum sacratissimæ Eucharistiæ, tanquam vero cibo viatorum, & peregrinantium in hoc mundo, veroque panis cœlesti, qui dat vitam æternam. **b** Quem admodum etiam manna datū est filiis Israel, post transitum maris rubri, submersis Egyptiis: **c** sic & corpus Domini, panis qui de cœlo descendit, datur baptizatis & confirmatis, pugnantibus maiori cum virtute contra mortem æternam. **d**

S C H O L I A.

a Iuxta Psalm. 103. *ibi*: Et panis cor hominis confirmet.

b Sicut scriptum D. Ioann. cap. 6. & predictum. Exod. 10. c. & Sapien. 16. *ibi*, Panem de cœlo præstitisti eis.

c Vide historiam Moysi. c. 16. Gen. vers. 15.

d Diui Ioan. c. 6. vers. 58. Non sicut manducauerunt patres vestri manna in deserto & mortui sunt, qui māducat hunc panem viuet in æternum. Vide Guiliel. Durandum, lib. 4. Rationalis diuinorum officiorum. cap. 41.

C A P V T I I.

Quid hoc Sacramentum.

Panis & calicis sacramentum Græcis *εὐχαριστία* dicitur: Latinis, bona gratia. Quamobrè Eucharistia est sacramentum, in quo post consecrationem sub visibilibus transubstantiatis speciebus, est verum sacrosanctum viuum Domini nostri Iesu Christi corpus & sanguis. **b**

S C H O L I A.

a can. multi 84. §. sunt autem sacramenta, 1. questio. 1. nos de nominibus huius sacramenti & de sacramento. libr. 3. Syntagm. cap. 6. Cauendum tamen ab erroribus